

**Nonnulla ad diagnosin fluoris albi : dissertatio inauguralis pathologica ... /
auctor Fridericus Guilelmus Hellgrewe.**

Contributors

Hellgrewe, Frederick William.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gfd72yxd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

NONNULLA AD DIAGNOSIN
FLUORIS ALBI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. M. JUNII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS GUILELMUS HELLGREWE

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

AL. BALZ, med. et chir. Cand.

AD. ADAMKIEWICZ, med. et chir. Cand.

G. SARO, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

WILLIAM H. BENTLEY
1841

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

WILLIAM H. BENTLEY

FRATRI SUO

UNICO DILECTISSIMO

F. G. HELLGREWE,

PHARMACOPOLAE LASSINENSI, MEMBRO VERO PHARMACOPO-
LARUM SOCIETATIS IN GERMANIA BOREALI,

HOC

SPECIMEN INAUGURALE

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

P R O O E M I U M.

Non raro sum admiratus quum et in libris ab autoribus scriptis nobilissimis legerem et a medicis peritissimis audirem, fluorem album esse morbum atrocissimum, semper fere omnibus mendedi et sanandi conaminibus resistere, saepeque aliquamdiu sanatum redire saepissimeque fieri chronicum. Quas querelas medici jam antiquissimis habuerunt temporibus atque Democritus jam ad Hippocratem, uterum sexcentarum aerumnarum innumerarumque calamitatum mulieribus auctorem esse, scripsit. Quod convenit etiam cum controversiis medicorum hoc de morbo in distributione, nominibus maxime variis. Quid? hic morbus, qui saepius fere ullo alio morbo nobis occurrit, insanabilis, nec medicaminibus nostris potest fugari? Multum quidem abest, ut, qui tiro sum, aliquid novi proferam veteremque medicaminum exercitum contra hunc

morbum augeam, ut potius ea ex causa tantum hujus morbi difficilem sanationem deducere posse putem, quod diagnosis adhuc fuerit incertissima nec ad lucem sit prolata satis claram. Quamquam ipse paucos tantum observavi casus, tamen quos vidi, momenta mihi gravia praebere et quaestionem explicare posse sunt visi, et quum libellum scribere in usu sit, ut hoc de morbo aliquid colligerem, quid mihi videretur grave et commemoratione dignum, conamen feci. Praecipue autem ideo a me hunc laborem in me suscipi posse putavi, quod benignitate et amicitia Doctoris celeberrimi Behrend, hujus urbis medici practici experientissimi, venia mihi data est, ut ab eo scripta commentatione (über die Veränderungen, welche das Collum uteri beim Fluor albus darbietet und über darauf zu basirende Heilindicationen, vorgelesen in der Hufeland'schen med. chir. Gesellschaft in Berlin) quoad possem, uterer. Dico ei hanc ob benignitatem publice gratias quam maximas.

I. NOSOLOGIA.

Organorum genitalium muliebrium superficies interna membrana tegitur mucosa, quae, sicut membranae mucosae corporis humani aliae, structuram prae se fert cellulosam, teneram, mollem, spongiosam. Secretionis praeest functioni, quapropter praeterea glandulis et folliculis mucosis permultis est instructa, qui, quamquam ubique hac in membrana inveniuntur, tamen in partibus certis, uti in collo uteri, in latere vulvae dextro ac sinistro, majores et frequentiores sunt. Secretio ipsa in statu hujus organi et totius organismi normali non copiosa est et larga; non majori quidem profluit copia, quam ut partes genitales sustineantur lubricae, opus est et materiaram mixtio sana, ad vitam normalem necessaria, postulat. Simulatque igitur membrana partium genitalium mucosa ejusque glandulae et folliculi, incitata quadam affectione pathologica, quae vel membranam ipsam tangit, vel alio ab loco ducit originem, praeter modum et naturam, vel plus

quam ad vitae sanae statum servandum necessarium secernunt, status morbosus fluoris albi existit. **Quantitas et qualitas secretionis auctae permultum abhorrere variisque conditionibus permutari possunt.**

Quod attinet copiam secretionis, eam interdum parcam interdum copiosiore esse videmus. Tum guttae tantum per intervalla destillant longiora, tum etiam uno tenore secretio profluit. Simul cum quantitate etiam qualitas secretionis et semper quidem magis peccat, eaque, diverso ex colore et odore, quin et consistentia varia, conditionibus chemicis cognoscenda. Color maxime varius neque semper albus, qui nomeu dedit morbo, saepe canus, subflavus, subviridis. Consistentia modo liquida, aquosa, serosa, modo paullulum crassa, cremosa, ovi albumini similis vel cremori. Quod conditionem attinet chemicam, secretio interdum nulla praebet momenta nociva, interdum etiam acrimoniis implicita et gravida, hac mixtionis elementorum alienatione, vim destruentem et corrodentem in partes exercet adjacentes, membranam mucosam excoriat atque desorganisationes, excrescentias et ulcera procreat. Neque porro nos oportet fugere, has desorganisationes saepe posse secretionis auctae et alienatae causas esse.

Una cum his fluoris albi signis, praecipue quum diu secretio mansisset aegra, aut brevi tempore copiosissima esset facta, relaxatio in partibus geni-

talibus existit permagna, ita ut membrana mucosa et submucosa seu muscularis amittant firmitatem, sensim sensimque rugae evanescant vel reddantur laxiores.

Menstruatio inordinata, parca, vel suppressa, vel copiosa, interdum in haemorrhagiam exiens. Menstruationis tempore secretionis copia augetur et sanguine immixto rubescens apparet.

Praeter haec symptomata pathologica fluoris albi topica nobis etiam alia obviam veniunt signa, partim ex causis antegressis morbum ipsum provocantibus proficiscentia, partim ex momentis, quae sequuntur morbum. Omnino autem omnia vel ex sanguine vel ex nervis per sympathiam et consensum, quae organa genitalia cum aliis organismi partibus ineunt et vicinis et remotioribus, originem ducunt.

Nam quum ex sanguine ipso secretio aucta capiat elementa, totum corpus, quo longius perdurat morbus, particeps fieri necesse est affectionis pathologicae. Initio quidem symptomata levia veniunt in conspectum, relaxatio, inertia, debilitas in dorso et lumbis et pedibus; deinde autem graviora, anaemia, chlorosis. Omnino omnia symptomata, quo longius progressus et protractus est morbus, crescunt, augentur. Organa digestiva mox turbata videmus. Nutritio sensim minuitur, dyspepsia existit et anorexia, quas sequitur alvus tarda, inordinata. Ae-

grotarum facies foedo pallore deformatur et decore vitali suo orbatur, cachexiae naturam accipit, intumescit. In statu chronico denique macies intrat, atrophia universalis, dolores pectoris, febris hectica, oedema pedum, anasarca et mors scenam claudere potest.

Qualitas secretionis auctae depravata eamque insequentes desorganisationes nervos irritantes sensationes provocant abnormes. Dolores aliquando in partibus affectis omnino desunt, pruritus tantum intolerabilis inter effluentem secretionem aegrotis molestiam exhibet. Interdum initio tantum leves in diversis organorum genitalium regionibus percipiuntur dolores, modo diu perdurantes, modo intermittentes et aliquod post tempus radeunt, tum etiam vehementes existunt, ardentis, pungentes, pulsantes. Nonnunquam magnam occupant partem non solum organorum genitalium, sed etiam in alias proficiuntur membranas et partes adjacentes, in dorsum lumbos et quae circa pubem sunt.

Huc referenda sunt etiam symptomata, quae fluorem album comitantur, hysterica: sensationes in diversis organismi partibus dolorificae, spasmi in abdomine, flatulentia, cardialgia, anxietas, sollicitudo, cephalaea in occipite atque plura ejusmodi alia.

Omnino signa denique pathognomonica omnia ex variis pendent conditionibus, e constitutione

vitae conditione, causis morbum efficientibus, stadio, temperamento, anni tempore, coelo etc.

II. AETIOLOGIA.

Quum unius morbi plures esse possint causae, quaecunque vel remotius vel propius huc concurrunt, hoc certe de fluore albo, solis feminis morbo proprio, dici potest. Ad quod accedit, ut organon sexuale muliebre tam multis expositum sit causis nocivis, tamque facile affici possit quam nullum fere organon aliud. Jam a pubertate incipiente usque ad annos provectoros multa semper confluant momenta, quae et provocare et adjuvare hunc morbum valent. In quibus prae ceteris sunt numeranda structura membranarum, coitus, menses, vestes muliebres, contagium, vitae conditio, causae mechanicae, irritationes partium genitalium per imaginationes et manus, praeterea sanguinis abundantia hujus organi, nervorum copia, qui vivacis sensibilitatis causae sunt.

Quum primum structuram membranae hujus organi mucosae respicimus, eam magnum vasorum sanguiferorum numerum igiturque sanguinis abundantiam continere invenimus, eamque ob causam majorem posse discernere copiam intelligimus. Propter functionem enim, cui praesunt haec organa, magnus ad ea semper sanguinis affluxus est. Ne igitur secretio, quam ad vitam sanam est necessaria,

fiat copiosior, membranae talem habent structuram, ut nimis larga secretio possit prohiberi. Ad quod membrana submucosa sic dicta muscularis plurimum confert. Hae membranae enim, quamdiu sunt integrae, aut organismus totus est sanus neque laborat aliqua re, in contractione quadam sic dicta tonica, quae imprimis apud organa valet plurimum muliebria sexualia signumque certum sanitatis praebet et integritatis, versantur. Nam hac ex proprietate membranae muscularis praecipue copia, numerus, firmitas atque soliditas rugarum ceterarumque partium dependet. Vergit enim in vasa, quae ad membranam mucosam currunt secretoriam, sanguifera. Quo major ergo contractio et numerus rugarum, quo major ceterarum partium firmitas, eo major vis contractilis in vasa sanguifera secretioni inservientia capillaria, eo minor etiam secretionis copia. Quod ita esse, in virginibus intactis videmus et sanis. Rugarum igitur ceterarumque partium firmitas sanitatis organorum genitalium in universum signum. (Ueber Leukorrhöe von Dr. Rigby. Lond. Med. u. surgic. Journal 1834. Analekten für Frauenkrankheiten. Leipzig 1837 T. I. p. 134. etc.)

Membrana autem mucosa ipsa inter membranas inferiori ceteris momento est. Quam ob rem etiam apud animalia inferiora in superficie invenitur, partesque tegit externas. Apud animalia contra supe-

riora organorum internorum tantum inservit tegumento.

Ex quibus omnibus, fluorem album causis, quibus firmitas et membranae muscularis et mucosae debilitatur, tollatur, provocari posse intelligitur. Nam membranae, contractionis vi orbatae, laxiores redduntur et vasa sanguifera majorem sanguinis copiam possunt his partibus admittere.

Pari modo systemata corporis superiora, praecipue musculorum et nervorum actiones et vires quum sint depressae atque debilitatae, originem causamque fluoris albi praebent. Secretio enim tam diu normalis, quam vires vasorum secernentium vitales nutu ipsius tenentur. Sublata et diminuta irritabilitate morbi etiam causa est data.

Momenta talia sunt: constitutio asthenica, debilis, cacochymica vel congenita vel acquisita; vitae conditiones molles, libidinosae, lascivae; domicilia humida, somni diuturni, vestes muliebres, labores vehementes, fatigantes; moeror, cura, aegritudo; temperamentum phlegmaticum et melancholicum.

Eodem modo omnia, quae partium genitalium sensibilitatem deprimunt, proclivia ad fluorem album producendum sunt; graviditates frequentes, metrorrhagiae, coitus saepe peractus, onania, auctus coëundi appetitus non expletus.

Ex causis mechanicis attendi merentur insultationes partium genitalium factae, pessaria, lapides,

fungi, omnino corpora aliena in vagina vel utero, polypi, foetus in utero materno mortuus jam putrefactus, attactus partium genitalium manibus frequentati, lavationes frigidae nec non tepidae. Quae omnia membranam mucosam irritant et ubi irritatio ibi affluxus, deinde autem membranarum firmitatem minuunt. Paria efficiunt abortus frequentes, improvida et violenta secundinarum avulsio, mala gravidarum tractatio, ovariorum hydrops etc.

Nec praetereundum est silentio, aëris vim et anni tempus in fluoris albi ortum influere, imprimis autem autumnum tempestatesque pluviosas, quae fluoribus disponant, esse aptiores. Eodem modo causae nocivae coelum subito sese mutans, regiones humidiores ad mare jacentes nebulis saepe tectae possunt fieri (El. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten T. I. p. 590).

Ideoque et in illis feminis, quibus inferiores partes minus munitae et defensae ab aëre, quaeque in locis frigidis et aquis lavandi causa versari coguntur ob vitae genus, facili negotio fit laesio tum corporis universi, tum praesertim genitalium et ex hoc errore et mensium suppressio, tumor pedum et fluor albus proveniunt.

Quum sanguis secretioni praebet elementa, eaque secretio nervis vasa sanguifera comitantibus, ut et qualitas sit apta conditioni vitae, ordinetur,

intelligitur, momenta, quibus secretioni inservientes procuratores alienentur, secretionem ipsam permutare et alienare. Jam organa digestiva, in quibus incipit sanguificatio, tali modo accusari possunt causae fluoris albi primariae. Hinc alimenta omnia crudiora, pultacea, elixa, farinacea, leguminosa aliaque hujus generis, ob viscedinem et tenacitatem minus resolubilia, organa digestiva enervant et ad assimilandam nutritionem depravant, obstructions, dyspepsiam proferunt, quibus totum corpus debilitatur. Huc quoque abusus medicaminum purgantium, imprimis salium modiorum referenda est.

Secretiones omnes inter se versantur in antagonismo et consensu. In secretionibus ipsis alienatio sanguinis mixtionis saepe demum venit in conspectum, quae in sanguinis circuitu occulta aliquamdiu potest manere. Ita dyscrasiae diversae secretionem auctam pathologicam provocare et secretiones inter se tolli possunt. Fluor albus igitur originem etiam capit ex fluxu haemorrhoidali, ulceribus praecipue ad pedes, exanthematibus, sudore, mensibus, haemorrhagiis, affectionibus catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis suppressis, lochiorum fluxu diminuto et depravato. Fluorem album quoque in febribus intermittentibus epidemiis et nervosis crises locum obtinuisse auctores observaverunt.

Haec atque multa alia ab auctoribus diversis inde ab antiquissimis temporibus sunt scripta de

causis, natura et origine fluoris albi. Inde et nomina diversa atque varia; praecipue autem inter fluorem album benignum et malignum semper discrimen est factum, de quorum causa quidem et natura semper etiam diversae fuerunt sententiae vehementer scriptoribus inter se discrepantibus. Neque tamen sunt nomina neque discrimen tanti momenti, ut ex iis medendi methodus rationalis atque praxi utilis possit deduci. Quae quidem omnia in medendo morbo non sunt negligenda, tamen saepissime non gravissima sunt momenta. Medico practico certe, quum ab aegrota consultetur, prae ceteris primum haec esse dignissima debere, quae secum volvat, puto: Sit ne morbus contagiosus an contagii quadam gaudeat origine, nec ne? Deinde autem, quo in stadio morbus versetur? Denique, quae pars membranae et organorum genitalium morbi sedes sit?

Discrimen est statuendum inter contagium et virus. Morbus nominatur contagiosus, quum contactu directo vel indirecto, ratione non habita causae morbi transferri queat. Virus autem est fructus, qui morbum commovere potest proprium, specificus, quod non extinctum primo tempore, quum hominem invasit, penitus eum veneno imbuere valet, neque naturam suam amittit, ita ut denuo eandem vim prae se ferens, transplantari possit. Tale est virus morbillorum, scarlatinorum, syphiliticum, rabiei etc.

Morbi igitur omnes virulenti etiam contagiosi, neque vero contagiosi omnes etiam sunt virulenti. Quod discrimen praecipue de membranis valet mucosis.

His praemissis fluorem album non virulentum et virulentum dignosci posse puto.

I. Fluor albus non virulentus. Principium quodque acre in membrana mucosa sana provocare et commovere inflammationem eamque sequi secretionem auctam, secretionem ipsam, quo longius et vehementius progrediatur inflammatio, mutare qualitatem quod lenitatem attinet et acrimoniam, satis constat. Idem ergo etiam de membrana partium genitalium et viri et feminae mucosa edici potest. Nam femina refrigerio e. g. sibi partium genitalium contracto, aut puella aetatis tenerae coitu invito peracto cum viro sano, vaginitidem aut vulvitidem, quae in blennorrhoeam exit, sibi contrahat. Certe quum aegrota malum negligat atque vitae se tradat dissolutae, fluor albus augetur, membrana mucosa sensim mutatur atque secretio acrior evadit, etiamsi concubitu virulento se non dederit. Haec femina, quum fluor albus jam sit inveteratus, chronicus et doloribus vacuus factus, in viro sano, cujus membrana glandis et urethrae admodum sensibilis est, coitu peracto, secretionem fluoris albi acri vel balanitidem vel urethritidem, quarum exitus gonorrhoea urethrae aut glandis est, procreabit. Etiam

hic vir, si in Venere et Baccho excedit, in libidinibus se effundit, ita ut secretio gonorrhoeica sensim alienetur et acrior fiat, fluorem album in femina sana, coitu peracto, potest efficere. Videmus igitur, morbum ex alio in alium et secretionis quidem sola acrimonia et natura aliena posse transferri. Virus ergo specificum ad translationem non necessarium. Haec denique secretio in membranam mucosam aliam, e. g. conjunctivam oculi, oris, nasi, translata, eosdem procreabit effectus, sicut acrimonia quaeque alia, quamvis acrimoniam quamque non alio modo solum, sed etiam peculiari in membranam quamlibet mucosam vim posse exercere, negari nequeat. Quo etiam fit, ut membrana mucosa organorum uropoëticorum urinae acrimoniam toleret, secretis alvinis autem violetur et irritetur. Membrana quaeque mucosa non irritationi solum certae assuescit, sed alienae etiam consuetae. Qua ex proprietate alium virum coitu peracto a femina affici gonorrhoea, alium innoxium evadere, planum fit; aliam porro feminam iisdem ex causis fluorem album sibi contrahere, aliam non item.

Fluor albus igitur contagio ortus non solus est malignus et fluor albus sponte ortus non solus est benignus.

Fluor albus non virulentus ergo non propter virus specificum, sed acrem quandam secretionem contagiosam ostendit naturam. Secretio enim, quam-

diu naturam prae se fert mitiorem, aut membrana mucosa ei assuescit, nullam vim in eam habet. Ex qua re intelligere possumus, quo fiat, ut adulter post coitum cum femina nupta gonorrhoeam accipiat, maritus autem cum conjuge sine damno possit exercere coitum. Secretum autem, quum sit acre, aut membrana mucosa, quum non sit ei assueta, inflammationem, quam mox sequitur secretio copiosior, provocat. Nunquam autem hoc secreto symptomata dyscrasiae vel veneficii efficiuntur.

Tali modo omnes causae, quarum supra feci mentionem, hoc fluoris albi genus valent creare.

Tria stadia fluoris albi non virulenti quantitate, qualitate secretionis, symptomatibus topicis et generalibus inter se diversa, probari possunt.

I. Stadium inflammationis crescentis. Hujus quoque symptomata, temperies in partibus genitalibus aucta, pruritus, interdum dolores leves, pungentes, praesertim in vagina et ad collum uteri, veniunt in conspectum. Partes genitales augescunt, intumescunt, rubescunt et organa adjacentia non raro simul afficiuntur et corripuntur inflammatione, ita ut cystitis et urethritis, quibus dolor augetur, existat. Nec deesse possunt febris symptomata. Quod attinet secretionem, haec parca, exigua, albidula, cremori similis vel ovi albumini fluido. Functiones ceterae corporis sunt in integritate et orga-

nismus totus nulla aut parva certe valetudinis minus commodae signa ostendit. Coitus appetitus saepe auctus, vehementior.

2. Stadium inflammationis decrescentis. Inflammationis signa vel citius et celerius vel serius et tardius praeterire possunt, prout morbus aut organismus ad acutum vel chronicum inclinatur decursum. Omnino autem secretionis auctae, puriformis, alienatae symptomata et quae ex ea sequuntur, magis magisque conformantur et plana fiunt. Secretionis copia permagna ejusque natura acerrima, purulenta, desorganisationis late diffusae causae. Membrana mucosa praecipue vaginae et colli uteri hic illic corroditur, destruitur. Tales loci arrosi speciem prae se ferunt albidam aphthosam, irregularem; in fundo subrubri secretionis crassiore albida tecti, qua abstersa excoriationses comparent. Hae excoriationses sensim, si inflammatio pergit, in ulcerationem transeunt minus dolorificam, imprimis in collo uteri, quod ipsum saepe dimidium erosum invenitur. Propter secretionis amissae abundantiam aegrotarum vires sensim minuuntur; anaemia, macies oritur, febricitationses existunt, digestio perturbatur, inappetentia ciborum, anorexia, borborygmi, obstructions, diarrhoea nascuntur. Interdum ischuria et stranguria, quum inflammatio ad vesicam transit urinariam, cooritur. Menses vel oppressi, irregula-

res, parci, vel copiosi. Vagina sensibilis languescit, rugae evanescent; orificium uteri saepe apertum.

3. Stadium granulationis seu desorganisationis membranae mucosae incipientis. In ulcerum fundo denique luxuriantes, fungosae, interdum dolorificae formantur granulationes, papilliformes, dispersae, ex rubro-pallentes seu fuscae. Quae quamquam in omnibus membranae mucosae locis existere et crescere possunt, tamen in iis, ubi tela cellulosa praevallet, quales sunt e. g. nymphae, introitus vaginae et collum uteri, frequentiores formantur. Collum uteri prae ceteris morbi particeps fieri posse, jam Sennert recte profert (Sennert de morb. mulier. Lib. IV. Cap. II.). Collum uteri ad vaginam eandem habet rationem quam bulbus oculi ad palpebras, glans ad praeputium (Dr. Friedr. J. Behrend, Syphilidologie etc. T. IV. p. 360). Secretio hoc in stadio magna, copiosissima, qualitate et conditione chemica maxime alienata, foetida, putrida, corrodens, dolores efficiens effluendo, vagina igitur inflammata, tumefacta.

II. Fluor albus virulentus seu syphiliticus. Semper ex causa syphilitica oritur. Virus syphiliticum, ubi in vagina est depositum, inflammationem topicam specificam procreat et ulcerationem. Irritatione syphilitica commota secretio membranae mucosae incipit crescere. Secretio mucosa ipsa pus et virus ulcerum syphiliticorum involvit, et tali pure

quasi gravidus mucus iterum in membranam mucosam aliam translatus, syphilidem potest parere atque secretionem majorem frequentioreque efficere. In membrana mucosa admodum insensibili, hebetata, qualis puellarum publicarum, haec secretio pure syphilitico tincta diu in vagina, priusquam resorbeatur, potest manere: quo fit, ut lavando, infectione in puella non producta, interdum abluatur, aut coitu paulo post peracto in pene deponatur. Tali modo femina innoxia, illaesa, salva potest evadere.

Ulcera syphilitica seu excrescentiae syphiliticae vel ad labia, vel inter labia et nymphas, vel in commissuris, vel in clitoride, ad introitum vaginae, in vagina ipsa, saepissime autem in colli uteri parte anteriore (Dr. Behrend l. c. p. 858. Velpeau in Gazette des hôpitaux etc. Paris 1842 No. 1 u. 9). Interdum etiam in orificii uteri margine internuo diffunduntur ulcera. His in partibus syphilis cognosci non potest, nisi speculo vaginae, quod caute et accurate infertur, et tum penicillo collum uteri et vagina liberatur muco.

Hoc quoque genus fluoris albi sicut syphilis tria stadia facit. Stadium primum est formationis pustularum, quod paulo post infectionem incipit et signis inflammationi propriis indicatur. Pustulae, quae modo sparsim modo dense sedentes inveniuntur, brevi tempore interjecto dehiscunt et in stadium

secundum exulcerationis abeunt. Hoc stadium celerius progreditur. Secretio puriformis, ulceribus effluens, partes corrodit et signa ulcerum syphiliticorum alia nota mox veniunt in conspectum. In ulcerum fundo granulationes, stadium tertium formantes incipiunt crescere, magnitudine varia, quae attactu quidem solo possunt sentiri, sed, utrum sint natura syphilitica nec ne, non dignosci. Vel sparsae vel conglomeratae inveniuntur. Collum uteri tumefactum quum speculum adhibeamus, reperitur. Colli uteri canalis secretionem tectus et impletus est puriformi, crassa, viridi vel flavida, quae, quin superficies ulcerum eorumque color cernatur, impedit. Secretione per penecillum remota plane discerni potest superficies ex rubro-coerulea, livida, maxime aliena ab aliis partibus adjacentibus, granulationibus oblecta, sicut in conjunctivide granulosa. Medio in livido fundo granulationes plerumque densissimae, frequentissimae: ad marginem parcae, rariae (F. C. Meissner, Frauenzimmerkrankheiten T. I. p. 802. Leipzig 1842). Pariter in orificio uteri granulationes inveniri, idem auctor contendit, vel in utero ipso quod facile cognosci posse dicitur, quum, secretionem in collo uteri remota, fundus uteri ab exteriori abdominis parte prematur. Tum ex orificio secretio similis erumpit, scaturit. Granulationes molles attactu sanguinem mittunt; fundus ulcerum durus. Absque fluore albo plerumque nulla in conspectum

veniunt symptomata pathognomonica, aut certe parva. Dolor permagnus nunquam.

Diagnosis ergo est incerta et dubia hujus fluoris albi speciei, quamdiu speculum, quo comperiamus, utrum syphilis adsit nec ne, non adhibuimus.

III. DE SEDIBUS FLUORIS ALBI.

Sedes fluoris albi non tam flocci est habenda quam medici plures putant, eamque ob rem silentio plerumque eam praeterierunt. Sunt enim medici, qui ex aegrotata quidem, qua de re queratur, quaerunt, et ubi ista respondit, medicaminum turbam consuetam in morbum mittunt, non autem ipsis oculis, ne manibus quidem certiores se faciunt. Quid? medendine methodus fluoris albi, cujus sedes vagina est et qui sedem habet in utero, eadem? Minime vero. Fit igitur negligendo aspectu, ut medicorum labores saepissime cadant et ceciderint ad irritum. Hanc ob rem medici meliores semper ad diagnosis certam statuendam locum et sedem morbi censuerunt discerni debere. (Dr. Churchill, med. chirurg. Review. Analekten für Frauenkrankheiten. Vol. I. p. 149. — Dr. J. Chr. Gottfr. Joerg Krankheiten des Weibes. §. 330. — Dr. Behrend l. c.) Ad quod accedit, ut fluoris albi causae, uti supra est expositum, tam diversae tamquam alienae inter se sint, ut scire non possimus, utrum jam sint remotae, nec ne. — Quid? num polypi, de-

generationes aliae in utero, carcinoma, ulcera syphilitica discerni possunt nisi speculo? Etiam in thoracis morbis, ut sedem accuratius cognoscamus ad fugandum malum, auscultatione et percussione utimur, et quantum valeat hoc recentioris temporis adjuvmentum, quisque cognoverit. Speculum vaginae in morbis partium genitalium tanti est momenti, quanti stethoscopium in morbis thoracis.

Membrana mucosa partium genitalium non habet quidem limites certos, attamen quod pertinet ad sedem tres fluoris albi species statui possunt. Corripi enim atque fieri morbi sedes queunt et partes genitales externae, et vagina et uterus. Quartam denique speciem, sedem quum respiciamus, discernere possumus, quum urethra sit affecta. Quae propter brevem decursum apud feminam raro sola inflammatione affecta invenitur, semper fere una cum membrana mucosa vulvae. Facile praeterea fluor albus urethrae digito, quum urethram ab infima vulva compremamus, dignoscitur. Tum enim partem secretionis in digito ipso, vel ex urethra, oculos quum advertamus, scaturientem videmus. P. Frank mentionem fecit fluoris albi tubarii, et El. de Siebold interdum nymphas, praecipue pendulas aut aliam labii pudendi majoris internam partem circumscriptam fuisse sedem secretionis abnormis observasse vult.

1. Fluor albus vulvae. Certe inter fluoris albi

species tres facillime dijudicatur oculis, solis labiis nymphisque explicatis. Nec fugere medicum adspicientem potest, num introitus vaginae simul cum urethra sit affectus. Tum etiam inter mingendum dolores percipiuntur. Aegrotae omnino primo tempore magnos dolores in partibus affectis, saepe ad femur et in dorsum transeutes, sentiunt. Attactus quoque dolorificus, quamdiu in inflammatione partes versantur. Secretio pro rata parte minor. Degenerationes, ulcera syphilitica diagnosin facile permittunt.

2. Fluor albus vaginae. De vagina omnia, quae supra de structura partium genitalium dixi, praecipue valent. Ideo etiam digito explorando aliqua ex parte diagnosis fieri potest certa. Nam laxitatem membranarum vel rugarum earumque numerum diminutum digito sentire possumus et aucta secretio alienata cernitur; tamen non nisi speculo de natura et sede morbi, quod spectat ad intensitatem et circumscriptionem, certiores nos facere possumus. Nam utrum degenerationes, quae, ut supra commemoravi, hic illic formantur, syphiliticam habeant naturam, nec ne, multum interest, neque minoris est momenti sedes degenerationum, quae saepissime in collo uteri iuveniuntur. Omnino enim in medendo sunt gravissimae, quia in locos affectos ipsos provehi atque impetum nos facere

oportet. Dolores initio tantum inflammationis vehementes.

3. Fluor albus uterinus. Symptomata objectiva, quae nobis, speculo non adhibito, hac in specie fluoris albi occurrunt, non sola semper reddunt diagnosin certam. Secretio initio aquosa, paulo post gelatinosa, purulenta, fusca, foetida, sanguine tincta et mixta; orificium uteri apertum, dolorificum, fervidum. Uterus ipse augescit, indurescit, quod in attactu abdominis sentire licet. Vagina paulum tantum sensibilis. Cum his consentiunt symptomata subjectiva. Dolores initio valde aucti cruciant aegrotam, similesque sunt doloribus parturientibus et colicae uterinae; in dorso imprimis vehementes, coxam ambientes propter affectum uteri latum ligamentum, tendunt ad crus. Situs horizontalis facilius potest sustineri. Nonnunquam simul adest reactio febrilis.

Accedunt ad haec symptomata nonnulla alia, quae uterum sedem esse indicare possunt, a Dr. Churchill prodita (Medico-chirurg. Review. Analekten etc. T. I. p. 151.) Hic quidem medicus fluoris albi uteri signa haec consignavit:

1) Apud feminas juveniles constitutione tenera, indole phthisica congenita, annis pubertatis incipientis loco menstruationis ante menses ipsos fluor albus oritur, quem comitantur molima menstrualia.

2) Tempore mensium consueto in puellis chloroticis fluor albus menstruationis fungitur vice.

3) Mensibus suppressis plerumque tempore instante consueto menstruationis fluor albus obtinet locum.

4) Menses quidem regulares esse possunt, intervalla autem fluor albus explet, qui ante et post menstruationem augetur.

5) Partu edito, lochiorum secretionibus finitis apud feminas primiparas brevi tempore interjecto fluor albus solet exoriri.

6) Abortu semel facto sive iterato mulieres inclinant ad fluorem album, cujus sedes uterus est.

Quae symptomata omnia quidem plana esse videntur, dubia tamen ad diagnosin certam; nihilosecius autem in computationem possunt venire. Negari nequit, sedem morbi talibus adhibitis symptomatibus magis posse praesagiri quam certam haberi, nisi auxilio vocetur speculum. Nam propriae sunt flori albo uterino desorganisationes, quae paulo post exortum morbum nascuntur et secretionis qualitatem in deterius mutant. Excoriationes imprimis existunt ad collum uteri internum, quae mox late diffunduntur, praecipue quum syphilis simul adsit.

IV. THERAPIA.

De cura pauca tantum sunt admonenda. Nam ex iis, quae supra de natura, origine et sedibus

fluoris albi dixi, intelligi jam potest, maxime varia adhiberi medicamina debere et pro usu interno et ad usum externum. Nam planum est, in variis fluoris albi speciebus non omnibus nos uti posse medicamentis. Non omnia, quae in usum vocantur localem fluoris albi vulvae, etiam statum meliorem reddent in fluore albo uterino. In fluore albo vulvae cataplasmata sunt adhibenda et sufficere possunt, in fluore uterino contra adjumenta localia adhibita parum tantum proderunt, nisi praeter situm resupinatum simul etiam ad usum internum medicaminibus utimur.

Corporis etiam constitutio, nec non stadia morbi diversa plurimum valent in curando fluore albo. In stadio primo methodus antiphlogistica in usum vocanda, depletiones sanguinis topicae sunt instituendae ad orificium uteri hirudines applicandae, quod facile in tubo a Doctore Locok descripto fieri potest. (Analekten etc. T. I. p. 144.) In stadio secundo, ubi membranae mucosae vis vitalis minor ultra modum apparet, roborantia, tonica, ferrica adhibenda, diaeta moderanda, ordinanda, et in systema chylopoëticum cura adhibenda.

Quanti autem momenti sit speculi usus, imprimis in cura apparet. Nam omnia medicamina ad irritum et vanum rediguntur, nisi oculis persuasum nobis est, qualis et quanta sit affectio in partibus genitalibus internis localis, imprimis in stadio chro-

nico, ubi degenerationes jam admodum sunt progressae. Speculo tantum adjuvante fluorem album, quem nominavi virulentum et non virulentum, discernere possumus. Nam ulcerationes diversam habent naturam et speciem, quum sint ortae ex causa syphilitica, aut non. Imprimis paulo post causam datam occasionalem collum uteri afficitur et degenerationes init. Neque ut morbus pellatur et fugatur fieri potest, nisi impetum in uteri collum ipsum faciamus, applicandis vel hirudinibus, linimentis idoneis, vel causticis remediis adhibendis. Erosiones solae quum adsint, injectiones adstringentes ex plumbo acetico, vel zinco sulphurico etc. sufficient; granulationes autem impetum directum poscunt causticis, inter quae testibus Dr. Behrend (l. c.) et Dr. Ricord (Bulletin de Therapeutique, Juin 1835. Analekten etc. T. I. p. 311) praecipue lapis infernalis speculo adhibito est laudandus. Causa denique syphilitica quum fluori albo originem dederit, mercurium simul adhibere nos oportet, sicut balsamica specifica, quum sedes sit urethra.

V I T A.

Fridericus Guilelmus Hellgrewe, confessioni evangelicae addictus, **Schoenlanke**, magni ducatus **Posnaniensis** oppido, die secundo **Martii** a. h. s. **XIV.** natus sum patre **Andrea Christiano**, illo in oppido mercatore, quem mors praematura mihi jam ante **XXVI.** annos eripuit, et matre **Anna Sophia** e gente **Liebe**, cujus obitum jam ex annis novem lugeo. Primis literis imbutus sum **Schoenlanke** in schola oppidana. **Quindecimo** aetatis anno in gymnasium **Conecense**, quod tum directore celeberrimo **Muelier** florebat, cujusque gubernacula post eum celeberrimus **Gahbler** accepit, me contuli. Hinc, quum novem annos frequentavissem gymnasium, maturitatis testimonio parato anni **MDCCCXXXVII.** autumno discessi **Regiomontium Prussorum**, ubi a prof. illustriss. **Klose**, t. t. prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus et ab illustriss. prof. **Kaehler**, t. t. facultatis theologiae Decano spectabili, theologorum ordini sum adscriptus. — Quum vero medicinae studium semper me magis allexisset, post semestre praeterlapsum, vere anni **MDCCCXXXVIII.** apud prof. illustriss. **Serig**, t. t. Decanum ordinis medicorum, nomen dedi.

Praelectionibus quibus interfui theologicis omissis, ex hoc inde tempore me docuerunt:

Ill. Rosenkranz phaenomenologiam, logicen et psychologiam; **Ill. Meyer** botanicen et specialem et generalem; **Ill. Dulk** chemiam experimentalem, phytochemiam. chemiam analyticam, pharmaciam; **Ill. Moser** physicen; **Ill. Grube** anatomiam comparativam; **Ill. Rathke** zoologiam et anatomiam; **Ill. Burdach jun.** anatomiam artemque cadavera rite secandi, anatomiam

pathologicam; clar. **Burdach** sen. physiologiam, historiam medicinae; **Cel. Sachs** pathologiam et therapiam generalem et specialem; **Ill. Seerig** chirurgiam, akiurgiam, ophthalmologiam artemque fascias rite applicandi; **Ill. Hayn** artem obstetriciam theoreticam et practicam, Scholam clinicam et policlinicam medicam sub auspiciis **Cel. Sachs**, chirurgicam **Ill. Seerig**, institutum obstetricium duce **Ill. Hayn** frequentavi.

Anno **MDCCCXLII**. vere ineunte **Regiomontium** reliqui et autumno ej. a. incipiente **Berolinum** in academiam literariam me contuli, ubi inter cives academicos a rectore magnificentissimo **Ill. de Raumer**, receptus ab **Ill. Müller**, t. t. decano maxime spectabili, in album medicum sum inscriptus.

Interfui adhuc exercitationibus clinicis medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis illustrissimorum virorum **Schoenlein**, **Juengken**, **Wolff**, **Trüstedt**, **Barez**.

Quibus omnibus praeceptoribus, de me optime meritis, maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso rite superato, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. De viro gonorrhoeico sermo esse non potest.
 2. Nulla est certa diagnosi fluoris albi, nisi speculo vaginae adhibito.
 3. Sexus femineus magis quam masculus inclinatur morbis.
 4. Causae rigoris mortis nondum constant.
 5. Meditatio in medicina et diagnosi et curae majoris est momenti quam alia adjumenta externa.
-